

IMMATURUM OCCASUM

Integerrimi Juvenis,

Qui in ipso ingressu Rhetorices accidit

NOBILI & GENEROSO


VLADISLAO
WOLINSKI,

IN COLLEGIO PODOLINENSI
Lugubri calamo depictum.

*È voto amoris, ob expressam integerrimæ Adolescens-
tiæ Ideam, discipuli sui posthumi auctor
reliquit mastis amicis.*

MATTHIAS CASIMIRUS PIOTRASZKIEWIC,
Artium & Philosophiæ Doctor ac
cursus Philosophici Podolinen-
sis. Professor.

Domus



Podolinensis

ANNO Salutis, M. DC. L.

MATTHIAS CASIMIRUS PIOTRASZKIEWICZ
Integerrimi Juvenis

Qui in ipso ingressu Rhetorices accidit

Notari & Generoso

VLADISLAV
WOLINSKI
IN COLLEGIO PODOLINENSI
Lugubri calamo depictum.

Et hoc anno in obitu integerrime Adolecent
in lacum, depictus sit postquam auctor
reliquis in se acciderit.

MATTHIAS CASIMIRUS PIOTRASZKIEWICZ
Aetatis & Philosophiae Doctor ac
cursus Philosophiae Podoliten.
in Professor.



Matthias Casimirus, obiit d. 1. 1717.

ILLUSTRI ET MAGNIFICO DOMI-
no Domino

JOANNI DE LESCZYNY
BILINA,

Tutori & Avunculo immaturè sublato
Nobilis VLADISLAI WOLINSKI,
Patrono suo,

Auctor perpetuam felicitatem.

Quicquid in homine ^{retro} etatis ratio est totū illud mors
tenet inquit Seneca. Illustris & Magnifice Do-
mine, hinc totum hominum cursum funus exi-
stimo exequias perpetuo instauramus, quosq̄
mortales licet immaturos antea vidimus vix labente mo-
mento lugemus extinctos, ac proinde, nulla penitus sit brevior
quam nascentium ratio: cujus & cum cepit magna pars
jam præterit ac primum statim quem agimus diem cum
morte dividimus; extra cujus periculum nemo est nisi qui to-
tam jam excussit. Super vacane hic preces, frustra suspi-
ria, inania vota, cum fata nequeant immutari mortem mi-
nāntia. Nec consentaneum videtur rationi; etatem di-

ponere cum ne crastino quidem dominemur. Eam igitur
mortalium conditionem opinor: ut cum Lacrymis nati lu-
gere nunquam desinant & fatalis proximi casus vicinos pri-
mum tangit; at tamen equo animo ferenda aduersitatis tela;
cum fati omnes agimur: & in toto universo omnia stant cer-
ta lege. Tibi Illustris & Magnifice Domine & Amicis tuis
Mors lethales struxit insidias, vosq; in Luctuosam funeris
materiam evocavit, dum non mediocris Luctus ex obitu Le-
ctissimi ex sorore pignoris Nobilis VLADISLAI WO-
LINSKI assurgens, in animis amicorum tumultuari cepit,
sed partire hunc dolorem cum republica nostra Literaria
minuitur quippe ubi dividitur, & in plurima diffusus pecto-
ra unius oculos non severe fatigat, cum hæc gementium sint
gaudia suspiriis reciprocari & singultibus recreari, eadem
enim lethalis umbra in nostrum quoq; literarium sidus est pro-
jecta, hinc est quod has Lethales tenebras literario sideri
nostro inherentes tuæ illustri Dominationi oppono, ut ad eam
discussæ veluti minores Stellæ, ad planetarum ducem suam
deponat Ecclipsim, quo magis palam fiat ad eosdem semper be-
neficia reverti à quibus sunt concessa. Intra noctis spatium
opus confectum afferro, idcirco Lucis & Letitiæ nil habens
nox siquidem maxime est Luci inimica, Elinguis hic mu-
tusq; defuncti cinis perorat, & noctis non diei, doloris non le-
titiæ loquitur horam, penetrat non dubito inopinatus dolor
viscera tum aliorum amicorum tum præcipue siæ Illustris &
Magnificæ dominationis, dum suum Carissimum ex sorore

nepotem depositis hic mortalitatis exuvius ad Beatas & Im-
mortales cernis abire mentes. Eo non aliud nisi felicitatem
semper perrennaturam imploraturus properavit, immaturè
hinc deceßit ut maturam suorum amicorum tum impetra-
ret tum spectaret vitam, ac ut in terris sui amici fiant im-
mortales abiit immaturè mortalis, has igitur immaturas

Lacrymas de carissimo sororis pignore expressas
sua Magnificæ Dominationi spero
non ingratas fore.

**Tuæ Illustris & Magnificæ Domin. semper
paratus Exorator,**

M. C. P. Arr. Magister, Philosophiæ D. ac Profes.

A 3

Quis

POSTHUMUM MNEMOSYNON
D O L O R I S.



Uis In Ea afflicti doloris tempestate, orationem à me potius Exigat, & non Lachrymas? grave siquidem est, astringere verba vocibus, quæ præceps mæror, dissolvit in gemitum. Constet sane sua cretensibus fides, qui ne quid humani veri referrent, etiam à Carissimorum jactura, Lachrymas proscribere. Aliam conditionem indicit Oratori virtus tua Nobilissime VLADISLAE, in qua laudanda aliter eloquens esse magis nequeo, nisi elinguis fiam; nec aliter Orator nisi sine ore. Ite tamen tanto funeri vestigales Lachrymæ, ite, piissimis in cineribus aliquantum arescite; etiam obstinatissimæ in silentium vocis, decet solvi quærimoniam; cum mortis; fatali in humanâ dominio, uno in funere; Familia Illustrissima, decus ac ornamentum singulare; Patria, magnis sponsonibus votisque; natam adoscentiam. Musæ eruditi Ingenij & exquisitæ diligentiae insigne jubar; Integerrimæ Dei Parentis Virginis Cætus, germanam
vir-

virtutis Elegantiæ morumq; probitatis Ideam
immaturo Exitu (eheu dolendum nisi quia
tam maturâ virtute) ipso è complexu votorum
amorisq; eripi intuetur. Itane patemur fatis
apertæ semper Cælo vineæ? ut impunè vel in
primo vere, morti vindemiam facere si libeat?
liceat? Quis hic cælestis Antigonus, non libe-
ralem hortorum laxat amænitàtem, quò liceat
cuiq; tollere fructus; sed mortis exacuit ferâlem
falces, qualibere demetat cum voluerit matu-
ros & immaturos homines? O vindemiales
ferias! quæ tanti jacturâ racemi proluditis! po-
teras immitissima Domina, sustinere tantisper
concitatum impetum: donec vel ad vota tum
nostra tum consanguineorum, vel ad nume-
rum frequentissimæ virtutis VLADISLAUS no-
ster maturitatem ætatis produxisset. Poteras
crudelis, crudam adhuc Immanitati adolescen-
tiam, & nondum pleno sole adustos annos,
nondum ad plenam ubertatem excoctam u-
vam vereri, sed omniū nata in exitū tuum ipsa
Exitium non perhorrescis. Prædonis instar,
rapis non quod maturum sed quod obvium.
Avellis ipso amicorum à corde dulces botros
quasi in insidiis collocata, ne quidquam ado-
lescere ad satietatem desiderij patiaris. Verum
quid

quid hæ non profutura voces? una lex est cui
nulla derogatio præscribit, mori. Labimur
cum ætate; ad mortem maturi prius, quã
nati, vix navim vitæ conscendimus, & jam ab-
repti mortalitatis freto, vigilantes dormientesq;
sensim sine sensu, portum aut brevia quærimus;
æternitatis naufragium facturi. Ille felicissi-
mus cui non tempus sed virtus navigationem
terminat. Cui cynosuræ faventiumq; siderum
instar pietas affulsit, cui fallax syren voluptas;
cantu non illiniit animum, ut interitum totius
mercaretur; Non perfida circes, venenatos
propinavit calices, quibus non magis bellua-
rum vultus quam animos pectori Infunderet.
Quem nulla *Phæsis* auro, nullæ *Mycenæ* formæ;
non *Scyllæ* *Charybdes*q; audaciâ, non *cyclades*
fortunæ mobilis, à cursu & obtentu fortunarū
immortalitatis retardarunt: ille nobili celeu-
mate, nobiliori quàm *vesputij* aut *columbi* ore
inclamet victoriam; qui non modo enavigato
orbis utriusq; oceano; æquatos utriusq; vidit
terminos; sed superatis vitæ tumultuosæ nau-
fragijs; cum nullum terris reperisset firmum li-
mitem caelo stetit. Talem te nobis *Generose*
VLADISLAE, & insignes natales tui, & par Cla-
rissimis majoribus (quæ sola Heroes consecrat)

virtus; & acta hactenus in oculis nostris vita,
velut posthumi apud posteros Oratores, elo-
quentissime attestantur.

Natus est Illustri WOLYNSCIORUM domo,
ubi prima quam à parentibus requireres & cum
lacte statim delibares; possessio fuerat summæ
pietatis. Ad quam ita maturo passu temet accin-
xeras, ut vix fui tenace infantia, jam prehende-
res & teneres virtutem, ætatis teneræ incunabu-
la: primordia faceres pietatis; & crepundio-
rum illecebras morum integritate feliciter oc-
cupares, *Inde* Jam minus mirum evenit, intene-
ræ adhuc indolis primitiis, emicuisse summæ spei
scintillas; Cælo nempe devocatū ignem, eumq;
non Promethei virgulâ sed liberalis divinæ dex-
teræ accensum face testabatur. Quæ omnia ut
amplioribus illustrata radijs, cum ætate cresce-
rent, Consanguineorum tuorum manu Palladi
bonisq; musis fuerant Consecranda. Et facile
Apollinis gratiam nactus est VLADISLAUS no-
ster; quam meruit. Ita literas complexus à te-
nero ut facile appareret nunquam ab illo Exige-
re amplius, suadam potuisse, quàm quod ille re-
ferret; Ita pietati, & devoto in Beatissimam Pa-
rentem addictus amori, ut cum lacte ipsam
quoq; virtutis dulcedinem delibasse videretur.

Emmebat jam tum in puero, vigor mentis, ingenij alacritas, Laudis honos, & quæcunq; summa in senibus veneramur. His delinçamentis primum duxit colorem virtutis; Ingenij felicitati Illustrium licet humaniorum cognitionem rerum opposuit, ut eam bonæ mentis, Exercitio impenderet ætatem, quam sæpe aut proclivis animus abripit in vitium, aut levitas indolis, magis esse cupit alibi, quam in necessario. Illa didicit quæ dediscere non oporteret. Et in fertili agro ingēnij, eam sparsit sementem, è qua quoties urgeret Patria; non fallacem fuerat messem collecturus. In volavit in majorum facta sacra antiquitatis adyta, quantum patiebatur ætas ingressus est; quò, non uno defulgore Gentilitiū suæ domus stemma condecoraret. Videbat infastos vitiorum exitus & tanquam ad objectā Persei Ægidem exhorruit. Advertit virtutis, & ingenue probitatis collucentia in alijs facinora, & simul plusquam Pharetram suam Achilles, Theseus scutum, Cytharam Phæbus, clavam Hercules amplexus est & tenuit. Placebat alibi Lætis successibus assurgens libertas ut retinendæ suæ, sanguis & animus profunderetur. Arridebat summa in Principes subjecti populi reverentia & quidam extra fucum amor, hoc erat quod

quod in pectus proprium, industria transfunderet. Alienis in Castris imo hac temporis calamitate etiã in propriis sevientia armorum pericula jam relegebat jã sapius mente volvebat, ut patriæ cultissimus miles nasceretur.

Quod si tantus literarum diligentia admodum fervor, quantum in superos, & altiori animi parti informanda arfisse existimandus est? Caroli Quinti Imperatoris annulum, non tam gemmæ nobilitate, quàm artificis industria illustrem legimus; in eo ut precium artifex temporis faceret tempus ipsum gemmæ inclusit, & quidem ita vocale, ut curiosâ rotularum revolutione, in veloces politissimi metalli limites, coarctato sole, stylo potius quã voce clamaret, Horam esse. Et satis opinor arcto connubio annulus hic Principū animos temporis desponsaret, nisi majus quid posset Cæli terræq; Reginae consecratus animus, quem Marianô in cætu vix ubi dedicavit Virgini integerrimæ, Nobilissimus WOLINSKI noster, æternitatem simul imprefit pectori, quæ perpetui instar Excubitoris semper pietatis admoneret. Ab ea bene instituti pectoris machinã nō jam horarum indices notas, sed sanctissimæ mentis hospitas virtutes in singula penè momenta vidimus. Ita vel vultus

ipſe modèſta humanitate, ad morum eleganti-
am compoſitus pro pietate Excubabat, ut ne-
minem falleret in motu eſſe. Ô nunquam ſane
aberrantem properantis virtutis orbitam! quæ
ne deflecteret, pondus devotæ orationis VLA-
DISLAUS ſemper addidit; ut ſingulos vitæ ſoles
à Supremo exorſus ſole: vitæ curſum unica cla-
ritate metiretur. Fiebat proinde ut nulla Ex-
erraret hora, quam circumſpecta mens æterni-
tatis annulo non includeret. Divina igitur pri-
mo affectu colere, Sacro Sanctis Pœnitentiæ ac
Eucharitiæ Sacramentis frequenti pietate adef-
ſe, rebus ipſe immaturus conſilium tamen ma-
tuum, amicis cum affectu favorem ſodalitii in-
ſtitutis integritatem, Magiſtris ac Profeſſoribus
mitem ac obſequentem animum providere ex-
emplum omnibus, Cælum ſibi circulus fuit;
quem dum diſtinguit ætas, proſpectat æterni-
ſas, amor omniũ veneratur ſolus VLADISLAUS
perpetuo conatu experitur, quid valeat Heróem
patriæ fieri. At Ô inopinatæ Fatorum leges!
Dum ita feliciter in amphiteatro Muſarum Col-
legio Podolinenſi, ab ipſis ut ita dicam pueritiæ
Carceribus ad metam & lauream ſapientiæ evo-
laturus properat, & ſub Illuſtrium conſan-
guineorum curâ, ac impenſis ſtudioſè robur in-
genij

genij excoit ut curum generon juvenis aut u-
beriori Excursione impediret, aut potius
periclitaretur constantiam, tam grato spectacu-
lo invida mors; parentes nobilissimos, vitæ
mortali immature satis jam ante subduxit. Sed
ne sic quidem triumphas Crudelis, & illos enim
quos tam mature recepisti terris altiori è subfel-
lio Cælorum, fecisti spectatores, & Coronæ
quas Filij felix texebat labor, eò cumulatidus
Parentum præcinxere Capita; quò magis solita-
riâ perfectæ manu. Novi æquidem, quid ætas li-
bertate opibusq; fulta valeat; novi quo tenera
studiorum custode remoto, feratur indoles. In
undoso hoc mari cursum tenere, & favente for-
tunâ, ventis non abripi licentiæ prope miracu-
lum est. Mala hæc mater libertas; plerumq;
corrumpit delicijs illam ætatem, quam ausce-
rûs disciplinæ vigor, paterna in conniventia so-
lidasset. Ad bonam mentem ituris quicquid
divitiarum affluit onus aut Laciniam putato,
gravat dum implet, implicat si inhæreas. Et i-
gnara judicandi ætas, magis sequitur quod ful-
get quam quod ingenuis moribus consenta-
neum est. In hac attamen constitutus arena
VLADISLAUS noster, quo Angelico nomini; re-
ipsa subscriberet virtutis. Licentiæ pietatem;

libertati aurea (ut Plato loquitur) scientiarum
illigavit vincula, quò velut suaviloquus ille
Mercurius, geminis hisce talaribus, humana su-
per, affectu & indole probâ eniteretur. Quod
si Platonium illud fuit, nulla re beatiore respu-
blicas fore, quam si aut Reges Philosopharentur
aut Philosophi regnarent: Equiti Polono
dictum id autumnans VLADISLAUS noster, a-
nimum in studiorum contemplationem, libe-
ro ac nobili ingenio dignissimam occupatio-
nem (veluti elegantem illam, Themistii specu-
lam) eduxit nec aliter iisdem voluit adesse,
quin simul, veritatis ad nutum virtutum omniũ
concentus, resonaret, ita illam cogitationum
affectuumq; animi phalangem; rationis con-
tinere imperio ut lex omnium & summa dire-
ctio, illa esset Salomonis sapientia *TIMOR DO-*
MINI. Videbat itaq; in geniosissimus Juvenis
mutua vicissitudine ortus interitusq; rerum ab-
ripi, ut in ea vertigine universitatis, nusquam
firmum gradum statueret ac identidem semper
cogitaret etiam Macedonibus Alexandris, qui-
bus parvus orbis fuerat, terræ aliquot cubitos in
possessionem diuturnam suffecturos.

Verum quò hi tanti conatus tui? quò ingenio-
sæ mentis studiosi labores recidère? nempe ut
unam illam nobis Platonis scientiam (sed heu

quam nimum practice) mortis hac e Cathedra
vitæ studiosus demonstrares. Non aliter applau-
sus illos; quos ad ingenii tui lucem, nuper aspe-
ximus; mors vidit quin invideret? verum nesci
quidem reperit immunitum, hæ ipsæ matutinæ
Musæ: quas promptissimo animo secutus fue-
rat VLADISLAUS noster muri instar inexplu-
gnabilis fuere quem fortuna multis machinis
laceffitum non transiret. Didicerat è Socratica
Gymnade suâ Alcibiades noster, formam ætatis
esse spodium: quam elabi nemo, sed elapsam sen-
tiat: opes fortunæ dotem esse, quæ cum divor-
tium faciat: sua secum tollit: vitam esse; quæ
non in hoc spiritu ac mole, sed quæ in memoria
posteritatis: ac existimatione sæculorum con-
sistit: ac proinde quam cæteri timent mortem;
hic etiam appetit, Cælo debitum tributum, ne
gravamẽ exprobraret Auctori suo prompto ani-
mo reddidit. Non ei prægustatore Socratico
opus fuerat; hausit propinatã, Cælitum æquissi-
mo arbitrio mortem, qui non acerbiteratem po-
culi, sed dulcem porrigentis suscepit manum.

Dicam quod sincera animi jubet integritas,
nusquam magis VLADISLAUS WOLINSKI
quã in hac ultima vitæ scena egit non modo hu-
maniorum studiosum sed genuinũ Philosophũ,
hoc est consummatæ virtutis & integritatis virũ.

Tum sane spectare libuit, Senecam hunc
nostrum, non inter frigentes sanguinis deli-
quio venas; sed inter accensos toto corpo-
re dolores, vibrare tenerrimæ flammæ pic-
tatis quæ eò fulgidius quò propriores æter-
næ Luci rutilarent: Et ita tu Equidem sæ-
culorum dignissime Iuvenis, immaturum
exitum, matura virtute supplebas. Sed
nec illa avara mortalitatis expugnatrix, cæ-
cam in gaudia nostra refrenavit invidiam,
admovit potius dolorum cuneos, auxit ar-
dorem. Heu quam acri obsidione; non
nisi morte tua solvendam induxit coronam.
Quid eò loci depræhensus ageres? quo jam
vel confugeres? vel provocares? ad tot He-
roum Familiam, inclitosq; Parentes tuos?
hostem heu! cæcum reperisti. Andaba-
tam mors cogit ne flecteretur. ad ingenii il-
lustre illud jubar? quo perplexa & difficilia
humaniorum exercitia facili negotio pene-
trasti; imo, per temetipsum molitus es plu-
rima? hoc cui succumbit caput, sine cere-
bro est, ingenio Expugnari nequit, quod
tyran-

tyrannide comparatum est dominium. At illorum quorum impalvisti studiis, invigilasti chartis sapientum tuorum oracula accederes? ni ab his desertus esses. Somnium umbræ esse hominem proclamabat Pindarus. Ipsam calamitatem Herodotus, occasionem miseriarum Philæmon imbecillitatis exemplum, Fortunæ lusum, mutationis Imaginem naturæ oculos Aristoteles. Ille duntaxat geminus Philosophiæ Christianæ superfuerat ut necessarius sic minime fallax syllogismus. Cum enim reliqua deessent omnia, sincero animi de ante actæ vitæ immaturis licet delictis dolore, ac pœnitentiâ: piissimo in Beatissimam Dei Parentem, Sanctosq; Cælices affectu Cælum ipsum (fidenter dicam) expugnasti. Quid enim tum regnator ille animus nisi libertatem aspiraret Cælorum? qui quicquid ante mortale sub Tutoribus licet, habuerat, liberali tamen profusione Excesserat. Cum Deo Primo & Supremo Tutori cui & Amicos hisee ultimatis redderet.

DOMINE DEUS

C

COM-

COMMENDO ET REDDO TIBI DIVITIAS
MEAS, FRATRES, SORORES, CONSAN-
GUINEOS, AVUNCULUM ET ANI-
MAM MEAM. Quid ultra verba amplius
nec vitæ superfuit spatium? tributum enim
debitum non nisi ultimato spiritu solven-
dum erat: hic verba & vitam clausit. Fer-
vebat inimicus morborum ardor, sed ma-
jor ille fuerat, qui sui impatiens, gratissima
JESU & MARIAE nomina propelleret.
deflovebat ille oris vigor, torosi olim lacer-
ti & brachia, longam sese componebant in
quietem, oculi sæpius antea evolorum li-
brorum spectatores ferali mortis somno
claudebantur: at interea solius futuri præ-
sagamens, acrius invigilare, æternitatem
contueri evocere IESVM expedito itine-
ri, impedimenta facultatum omnia per IESU
& MARIAE nomina Cælo præmit-
tere, & in illo mortali otio, negotiatissimam
vitæ partem expedire. ac Cæli arcem oc-
cupare, ut eandem successu temporis pro-
pinquis custodiret subsequituris. Hic Agon
ulti-

ultimus, hæc vitæ non morituræ a perennaturo in æternitate Vladislao meo proposita Thematha fuere. Et quæ jam mularum laurea præter Cælites esset? cuius conclusio nil præter superos involveret? quis alius finis quam Cælum? quis demum superatis hisce Magistris felicior succederet Professor præter DEVM. In hac igitur arena felix Athleta, inter cælitum applausus & rutilantiū naturam stellarū, & orbibus definitos Cælos, nullo ingenii periculo prospicies, & cū sidera omnia, amplissimæ mentis complexione apprehenderis unicum (ne aliquando cælestis desinas auditor) quod nunquam satis intelligas Phænomenon habebis divinitatis. Cælo equidem ut pietas tua nobilissime VLADISLAE WOLINSKI testis est Cælo inquam te receptū nemo doleat, nisi qui tam citò immensitatē consummatam virtutum doleret. At eripite te nobis & in unius sarcophagi, ferali luctu, illustrem Familiam totam, ac omnium nostrorum sepeliri vota; heu non mediocri affectu ex-

tinguendus mæror est. Agite igitur piissi-
mi cineres, quæ in laude vestra Exaruerant
hactenus Lachymæ, iterum novo fonte re-
deant in gemitum. Nemo enim demesso
in Adolescentia flori post patriam terram,
gratior tumulus est, quam in
Lachrymis sepeliri Ami-
corum.

